



Q. SEPTIMI FLOREN-

TIS TERTULLIANI, APOLO-
GETICVS ADVERSVS
GENTES.

DE IGNORANTIA. CAPVT PRIMVM.



INON licet uobis Romani Imperij Antistites in aperto, & ipso ferè uertice ciuitatis præsentibus, ad iudicandum palàm dispicere, & coràm examinare, quid sit liquido in causa Christianorum: sed ad hanc solam speciem autoritas uestra de iustitiæ diligentia in publico aut timet, aut erubescit inquire: Si deniq; quod proxime accidit, domesticis indicijs nimis onerata sectæ huius infestatio obstruit uiam defensionis, liceat ueritati uel occulta uia tacitarum literarum ad aures uestras peruenire. Nihil illa de causa sua deprecatur, quia nec de conditione miratur. scit se peregrinam in terris agere, inter extraneos, facile inimicos inuenire. Cæterum genus, sedem, spem, gratiã, dignitatem in cælis habere. unum gestit interdum ne ignorata damnetur. Quid hinc deperit legibus in suo regno dominantibus, si audiatur? An hoc magis gloriabitur potestas earum, quod etiam inauditam damnabunt ueritatem? Cæterum inauditam si damnent, præter inuidiam iniquitatis, etiam suspicionem merebuntur alicuius conscientie, nolentes audire, quod auditum damnare non possint. Hanc itaq; primã causam apud uos collocamus iniquitatis odium erga nomen Christianum. Quam iniquitatem idem titulus & onerat, & reuincit, qui uidetur excusare, ignorantia scilicet. Quid enim iniquius, quàm ut oderint homines quod ignorant: etiam si res meretur odium? Tunc etenim meretur, cum cognoscitur an mereatur. uacante autem meriti notitia, unde odij iustitia defenditur: quæ non de euentu, sed de conscientia pbanda est. Cum ergo propterea oderint homines, quia ignorant quale sit, quod oderunt, cur non liceat eiusmodi illud esse, quod nõ debeant odisse? Ita utrũq; ex alterutro redarguimus, & ignorare illos, dum oderunt, & iniuste odisse, dum ignorant. Testimonium ignorantiæ est, quæ iniquitatem dum excusat, condemnat, cū omnes, qui retro oderant, quia ignorabant quale esset, quod oderant, simul ut desinant ignorare, cessent & odisse. Ex his fiunt Christiani utiq; de comperto, & incipiunt odisse, quod fuerat, & profiteri quod oderant, & sunt